



• S • G • B • T • B •



• 1 • 6 • 6 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO TERTIA  
in Auguſtanam Confefſionem  
continens

ΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ ΙΙ.

*De*

PECCATO  
ORIGINIS,

*Propoſita*

In alma Saxonum Academia,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

Doctore & Profefſore Publ.

RESPONDENTE

M. JONA Gitsch Vratiſl. Sil.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris  
ad diem. 17. Auguſti.*

---

WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,  
ANNO M DC XXVIII.

DISPUTATIO TERTIA  
in Augustana Consensione

CONTRA

LORENZUM LUTHERUM

DE

PRESCATO

ORIGINIS

PROFANE

INDICANDI

DE

JACOBO MARTINIUS TH.

PROFANE

INDICANDI

DE

INDICANDI

WITTEBEE

ANNO MDCXXVII

ANNO MDCXXVII





## AUSPICE CHRISTO.

### Continuatio.

**D**iximus in disputatione nostra prima, in doctrina Christiana duo summam constitui capita generalia : I. *ἡ ἀρχὴ τοῦ Θεοῦ*. II. *ἡ ἀρχὴ τοῦ ἀνθρώπου*. Ut ergo prius primo Articulo continetur & absolvitur, sic de illo in precedentibus duabus disputationibus, primum Articulum exponentibus & proponentibus, ratione instituti nostri sufficienter egimus; Consequens nunc est, ut ad alterum caput, *ἡ ἀρχὴ τοῦ ἀνθρώπου* progrediamur, & hominis *ἡ ἀρχὴ*, ductum Confessionis sequentes, instituamus. Qui consideratur in diversis statibus: Alius enim status fuit hominis antè lapsum, nempe felix ille & integritatis, in quo tantum Adam & Eva fuit: Alius est status hominis post lapsum: Qui rursus duplex. Alius in hac vita: Alius post mortem. Ille subdividitur in statum peccati, & statum restorationis. De statu hominis antè lapsum nostra Confessio expressè ac directè nihil agit. Quandoquidem illos cum primis proponit Articulos, qui tempore exhibitionis, maximè erant controversi, ad quos ceteri omisi vel reduci vel ex proposito facile estimari possunt; uti ipsa Confessio in Epilogo se explicat his ipsis verbis: Hi sunt præcipui Articuli, qui videntur habere controversiam: Quamquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile judicari possunt, &c. De statu restorationis, & statu hominis post hanc vitam, in alio; de statu verò peccati in secundo agit Articulo.

### T H E S E S

#### I.

**E**st ergo secundus Articulo Augustanæ Confessionis de Peccato Originis; Quo homines in statu peccati constituuntur; cuiusq; cognitio (ut loquitur Apologia Confessionis) necessaria est:

neq̄ enim potest intelligi magnitudo gratiæ Christi nisi morbo nostro cognito.

II. Verba Articuli hujus hæc sunt : Item docent, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodq̄ hic morbus seu vitium originis verè sit peccatum, damnans & asserens nunc quoq̄ eternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum. Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant hominem propriis viribus rationis coràm Deo justificari posse.

III. Ubi etiam initio tenendum, quod Articulum hunc responsio Caroli Imperatoris & Principium Catholicorum comprobavit, sed explicationem ejus planè reiecit, quod peccatum Originis sit, esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, cum sit potius culpa actualis adulti, quàm noxa infantis recens nati, qui usu rationis adhuc non pollent : Plura de illo infra in *avlibeod.*

IV. Alterum quod præmonendum, est, Articulum istum in editione posteriore, Anno 1540. à Philippo evulgata, hoc modo mutatum esse : Item docent, quod post lapsum Adæ omnes homines naturali modo propagati nascentes habeant peccatum Originis. Intelligimus autem Peccatum Originis, quod sic vocant Sancti Patres, & omnes Orthodoxi, & piè eruditi in Ecclesia, videlicet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt iræ Dei, & mortis æternæ & ipsam corruptionem humane nature propagatam ab Adam. Et hæc nature humane corruptio defectus Justitiæ seu integritatis sive obedientiæ originalis, & concupiscentiam complectitur. Estq̄ defectus, horribilis cæcitas & inobedientia, scilicet carere illa luce ac notitia Dei, quæ fuerat futura in natura integra. Item carere illa rectitudine, hoc est, perpetua obedientia, vera, pura, ac summa dilectione Dei, & similibus donis integre nature. Quare defectus illi & concupiscentia sunt res damnata & sua natura digna morte. Estq̄ vitium originis verè peccatum damnans, & asserens nunc quoq̄ eternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum S. Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, & sentiunt defectus illos, seu concupiscentiam esse res indifferentes, seu poenas tantum

rum, nec esse res sua natura damnatas, & somniant, hominem legi Dei satisfacere posse, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iustum pronunciari.

V. Etiam si in hac mutatione nihil est, quod vel cum Archetypi sensu, vel rei ipsius veritate pugnet: Quandoquidem duntaxat plenioris explicationis gratia, & ad vitandas Pontificiorum calumnias, mutatio hæc facta videtur; Nihilominus nos in Archetypi simplicitate quiescere tenemur.

VI. Cæterum ut plenior hujus materiæ sit tractatio, totam peccati *ἁμαρτία* dividimus in generalem & specialem.

VII. In genere peccatum cum Johanne 1. Epist. 3. v. 4. definimus: *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*. Peccatum est quicquid est contra legem Dei.

VIII. Ubi notandum est, quod in hac definitione, *ἀνομίας* vox, & Genus definiti, & differentiam ejus contineat, sicque totam & perfectam peccati definitionem mira brevitate & perspicuitate absolvat.

IX. Primum enim significat defectum, aberrationem, &c. in qualitatibus, actionibus, studiis universaliter sumptis, atque sic Genus exprimit peccato latius. Nam omne quidem peccatum est defectus & aberratio; non verò contra omnis defectus & aberratio est peccatum, Theologicè sumptum: Quandoquidem multa in natura oriuntur, quæ ab ordine debiti finis, contra naturæ regulam deviant, peccata tamen Theologicè non sunt neque censentur.

X. Limitatur ergò Genus hoc differentia specifica, ab objecto desumpta; nempe quòd defectus hic fiat, in legis, ab ipso Jehova sanctissimè promulgatæ, violationem.

XI. Legis hujus Summa consistit in justitia, sanctitate, veritate, veròque Dei cultu, in omnibus consiliis, actionibus, imò omnibus motibus servando.

XII. Quocirca specifica peccati ratio, est omnis vitiositas, omnisque aberratio, quæ motus & actiones nostræ, vires quoque & affectus interni, habitus item nostri, habitualiaque omnia, quavis etiam conditione, ab illa descripta, per legem Dei, ju-

stissima sanctitate, sapientissimaque integritate, quæ in sanctis-  
simo iustissimoque Dei iudicio requiritur, deficiunt.

XIII. *Peccatum* communiter dividitur à Theologis in *Originali* & *Actuale*. Accuratius autem si loqui velimus, dicemus, peccatum hominis aut est *lapsus primus*; aut est *convicta*, *lapsum illi-  
um secuta*.

XIV. Lapsus primus est Evæ, & deinde Adami lapsus, quo, sua ore Diabolo, serpentis specie induto, mandatum Dei sunt transgressi, & sic iræ Dei rei facti. Quandoquidem per lapsum hunc imago Dei penitus fuit amissa, primi que nostri Parentes, & nos in ipsis, sic corrupti, ut, quem amare conveniebat, oderimus, quem fugere, amaverimus, horrendaque *à se* & toti in transversum acti, à sanctitate, veritate, iustitia alieni, Deoque inimici & hostes facti, & sic omni omnino felicitate exuti, in tristissimas miseras inciderimus.

XV. Quare primi nostri parentes cum volenter arbitrio suo assentirentur Diabolo seducenti, rectè causæ primæ Efficientes peccati humani censentur, quippe qui lapsu illo, unâ cum peccato reatum ipsum in se, totamque posteritatem transtulerunt. Adam enim genuit filium ad imaginem suam *Gen. 5. v. 3.* Hic verò erat Cain *Gen. 4. v. 1.* quem, ait Johannes, fuisse ex malo *i. Epist. 3. 12. Rom. 5. 12.* dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum in mundum introit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transit, & in quo (videlicet Adamo) omnes peccarunt.* Et ne illud de incitatione tantum intelligatur, disertè additur. *v. 14. imò regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, in eos quoque qui NON peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius.* Atque tam forte est hoc argumentum, ut Pelagiani negativam particulam expunxerint: quam tamen Augustin. *lib. 1. de peccator. merito & remissione peccator. cap. 11.* in sui temporis exemplaribus extitisse testatur.

XVI. Hinc quoque falsa arguitur distinctio Origenis: qui in omnes quidem peccatum introisse fatetur, sed in omnibus regnasse negat. Nam & ponderosum hoc est, quod *Rom. 5. 15.* dicitur, *unius delicto multi mortui sunt.* Et rursus *v. 16. reatus ex uno delicto*  
*ad con-*



ad condemnationem. Et v. 17. per unam offensam mors regnavit per unum  
Et 1. Cor. 15. v. 22. sicut per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum  
omnes vivificabuntur. Est autem hæc vivificatio non solum resurre-  
ctio secunda, sed & prima, ut Apoc. 20. vers. 5. accuratius tra-  
ditur.

XVII. Peccatum ergo, quod lapsum primorum parentum  
secutum est, hinc facile poterit æstimari. Id enim rectè demum  
dividitur in Originale, & Actuale, ab originali scaturiens. Quæ  
distinctio necessaria est propter Pelagianos, qui nullum pec-  
catum, nisi Actuale tantum, constituerunt: Solidè verò alle-  
gatis fundamentis refutantur.

XVIII. De peccato Originis agens secundus Articulus  
Augustinæ Confessionis, duobus etiam id modis præstat: Pri-  
mum *ἡσυχῶς*, nostræ doctrinæ confessionem: Deinde *ἀνθεπι-  
κῶς* falsæ sententiæ & dogmatum erroneorum de Articulo hoc  
damnationem proponit.

XIX. Prior pars rursus bimembris est. Primum agit de  
quæstione, *AN SIT*: Alterum exponit quæstionem, *QUID  
SIT*.

XX. Quæstio, *AN SIT*, moveri ac probari solet propter  
Pelagianos, qui, ut diximus, nullum nisi Actuale peccatum  
agnoscentes, Originale planè negabant: In Confessione verò  
nostra exprimitur his verbis: *Docent, quod post lapsum Adæ, omnes  
homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato.*

XXI. Manifestis assertio hæc ex scriptura petitis rationi-  
bus potest probari. 1. Quia primi parentes naturam propaga-  
runt corruptam. 2. Quia posterius Adæ istius corruptionis gravi-  
ter in sacris accusantur.

XXII. Prima ratio ex clarissimis scripturæ dictis deriva-  
tur; Primò: Adam enim genuit filios ad imaginem & similitu-  
dinem non Dei, (quia illam pridem per lapsum amiserat) sed  
SUAM Gen. 5. v. 3. Deinde: quia omnes homines ex Adamo quæ  
descendimus, in iniquitatibus concipimur, Ps. 51. v. 7. Tertio: quia  
omnes homines, liberos procreantes immundi sunt, ideoq; mun-  
dos procreare nequeunt, Job. 14. v. 4. Quarto: quia inter sanctos  
Dei nemo integer, Job. 15. v. 14, 15 Quinto: quia per primos parentes  
pecca-

peccatum intravit in mundum, & in illis omnes peccaverunt  
*Rom. 5. v. 12.* Sexto: quia omnes, qui Adami sumus filii, naturam  
quoque sumus filii irae *Ephes. 2. v. 3.*

XXIII. Alteram quoque rationem ubique clamat scriptura:  
*Gen. 6. v. 5. & 8, 21.* dicitur: *Omnis cogitatio cordis humani, ac omne ejus  
figmentum, tantum malum est, ab adolescentia, omni tempore.* Et huc  
etiam pertinent non nulla dicta jam allegata. *Job. 14. v. 4.* *Quis  
potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Ibidem cap. 15, 14.  
*Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere?  
Ecce inter sanctos ejus nemo integer.* *Matth. 12. v. 35.* *Malus homo ex ma-  
lo thesauro profert mala.* *Johan. 3. v. 6.* *Quicquid ex carne natum est,  
caro est.* *Rom. 8. v. 7.* *Φρόνηα τῆς σαρκὸς, prudentia carnis inimi-  
citia est adversus DEUM.* *Ephes. 2. v. 3.* *naturam sumus filii irae.*

XXIV. His ergo rationibus innixa Augustana Confessio,  
quatuor potissimum in questionis hujus asserenda affirmativa  
inculcat & ostendit. 1. tempus ortus. 2. causam efficientem. 3.  
subjectum. 4. propagationem.

XXV. Tempus ortus definitur lapsus Adamici tempus:  
Ex quo consequens est, peccatum ab initio creationis in genere  
humano non fuisse. *Intravit enim in mundum,* inquit Apostolus,  
*Rom. 5. v. 12.* non cum mundo creatum est. Quod ergo malum  
originis appellatur, non ad rerum conditarum initium referen-  
dum est: Sed 1. quod Adae & Evae *παρὰ τὴν φύσιν* secutum, ipsos  
autores peccati corruptos reddidit, & ab illis in omnes posteros,  
adeoque in totum genus humanum naturali propagatione de-  
rivatum est, & adhuc derivatur. Quam nativitatis originem  
respicit Paulus, quando inquit: *Eramus omnes naturam filii irae,*  
*Ephes. 2. v. 3.* Dicitur igitur ita, respectu posterorum Adae cum  
quorum prima origine & nativitate coexistit & syngeneum unde  
& natale, item radicale dicitur. 2. quod ex hoc fonte  
scaturiant omnia alia actualia peccata: sicut Christus inquit:  
*ex abundantia cordis os loquitur.*

XXVI. Deinde autorem sive causam efficientem propin-  
quam ostendit Confessio, Adamum scilicet. Nam per unum  
istam hominem peccatum intravit in mundum. Hac ergo as-  
sertione primaria illa invidia & impulsione Diabolicae causa  
non excluditur.

XXVII. Tertio : Subjectum definit Confessio; *homines;* amplificans illud per signum *Universale*, adjecto tamen *πεσσδιο-εισμύω* naturalis propagationis, propter unicum illum *ἀναμάρτητον* hominem, Jesum Christum. Ille enim Mariæ filius, ex obumbratione Spiritus S. sine virili semine *ἡ Ἁγία Πνεῦμα* conceptus, natusq; solus hic excipitur.

XXVIII. Tandem propagationem Confessio his exponit verbis: *Cum peccato nascuntur omnes, seu nascentes peccatum Originis habent omnes.* Quocirca fit illa propagatio per naturalem generationem. Undè est, quod ad ipsius etiam conceptionis momentum David contagionem istam reducit. *Psalm. 51, 7.* Et Paulus nos *τῆ φύσιν* naturâ filios iræ Dei pronunciavit, *Eph. 2, 3.* Nam etiamsi ex parentibus quoq; piis & renatis generentur liberi, ubi reatus per gratiam à parentibus ablati, jam non videatur in sobolem esse derivandus: Veruntamen quia generatio non est gratiæ, sed naturæ proprium opus; & verò non ad regenerationem, sed carnem, opera naturæ pertinent; hinc adeò fit, ut, quicquid ex carne natum est, caro sit. *Johan. 3, 6.* & non ad DEI, sed naturæ suæ imaginem, etiam sanctissimi parentes liberos progenerent. *Genes. 5, 3.*

XXIX. Quæstionem ergo *ἅ ἐστι*, suppositis scripturarum fundamentis, sic concludit Confessio. *Quicquid per lapsum Adæ est ortum, & ab ipso per eundem lapsum in omnes homines introductum, naturaliq; generatione propagatum, & adhuc propagatur, id revera esse, & in hominis natura hære, certum est.* Atqui peccatum originis per lapsum Adæ est ortum, & ab ipso per eundem lapsum in homines introductum, naturaliq; generatione propagatum: Ergò peccatum originis revera esse, & in hominis natura hære, certum est.

XXX. Cæterum postquam probatum est, peccatum originis revera aliquid esse, & quidem esse hæreditarium, ac in omnibus esse hominibus, quid tandem illud sit, quæsitum fuit antè Lutheri tempora in Papatu, sed inventum nunquam. Quare hujus explicatio, à Theologis suscepta olim, commentationesq; de eo institutæ, mancæ perquam sunt atq; aridæ.

B

31. Con-

XXXI. Confessio nostra acutissimè rem universam complexa, definit peccatum *Originis*, esse morbum naturalem, & omnibus hominibus ingenitum vitium; Quo fiat, ut non tantum simus naturâ sine metu & fiducia DEI, & per concupiscentiam depravati, hoc est, undiquaq; corruptissimi, sed rei etiam damnationis atq; aeternae mortis, nisi regeneratio interveniat.

XXXII. Generis loco est, quod peccatum sit *morbus ac vitium*. Unde colligitur, i. quod sit accidens: morbus enim & vitium accidens est, & nequaquam substantia. Accidens enim est, quod non est substantia, neq; pars ejus, sed in alio est mutabiliter.

XXXIII. Peccatum, Primò, non est substantia: Utiq; hominis substantia esset: Atq; tum homo nihil esset aliud, quam peccatum *Originis*. Quod falsum: Tum quia homo ipse non est peccatum; sed in homine est peccatum: Id verò quod inest, non est illud ipsum, cui inest: Tum quia si homo esset ipsum, peccatum *originis*, tunc ubi peccatum hoc non est, non esset homo: At hoc absurdum. Christus enim revera homo est: Non verò peccatum *originis* est. Ita post resurrectionem erimus homines, peccatum verò *originis* non erit.

XXXIV. Deindè peccatum *originis* non est pars substantiae; esset n. iterum pars substantiae humanae, & quidem essentialis: Atqui verò hoc iterum absurdum est per datas rationes. Quandoquidem nullus homo sine parte essentiali subsistere potest.

XXXV. Tertio peccatum *originis* in alio inest mutabiliter: Id quod manifestum est ex Sacris. Primum enim homo creabatur sine peccato *originis*: Ergo humana substantia fuit prior illo. Deinde primum per lapsum primorum Parentum, labes illa substantiae humanae supervenit. Tandem in altera vita toti ab illo erimus purgati: Ergò peccatum *originis* in alio, nempe substantia humana est mutabiliter.

XXXVI. Rectè ergò per definitionem datam, & ad peccatum hoc *originis* applicatam concludimus; Peccatum utiq; accidens esse. Cui enim convenit Definitio, eidem & definitum rectè tribuitur.

XXXVII. 2. Et alterum quod ex Genere dato colligitur, est, peccatum originis esse habitum. Ex remotione enim aliorum superiorum Generum, dubium non est, illud ipsum in Qualitatis Categoria ponendum esse. Verum in qua Specie?

XXXVIII. Quidam in secunda specie illud collocant, eam in positivam propter *δυνάμεις*, & privativam, propter *ἀδυναμίας* subdividentes, peccatumq; originis ens privativum finientes, positivum verò negantes; Idq; ex falso isto principio ac hypothese, qua statuunt *δύναμιν* & *ἀδυναμίας* in secunda specie Qualitatis, esse species oppositas, ita ut quod *δύναμις* est, nullo modo sit *ἀδυναμία*; & contra: Quemadmodum homo nullo modo est brutum. Ubi interim certum sit impotentiam esse revera aliquem actum in subjecto, & sic ens positivum: Ut molities est omninò positivum quid in corpore molli, dicitur verò impotentia, quia sectioni resistere nequit: Potentia verò dici rursus potest, est enim corporis mollis naturalis potentia, ut facile secetur. Quare hoc eo modo nequaquam probabunt isti Peccatum originis esse Ens privativum, cum potius contrarium sequatur

XXXIX. Nos illud in prima collocamus specie, & ad habitum ac Dispositionem referimus. Primò quia in illo genere est privatio, in quo est habitus: Cum omnis privatio ad habitum, cujus privatio est, reducatur. At peccatum originis est *σέβησις* justitiæ originalis sive imaginis DEI. Ergò reducitur ad idem genus, ad quod pertinet illa imago: At hæc pertinet ad primam speciem. Nam licet non sit ex numero *ἡθικῶν* habituum, qui tantum usu & exercitio acquiruntur: Est tamen ex ordine *εὐφύτων* si propagata fuisset in posteros: vel infusorum & donatorum, ut in protoplastis.

XL. Deindè contraria sunt sub eodem Genere; justitia originalis & peccatum originis non privativè tantum, sed contrariè quoq; opponuntur: ut enim omne vitium virtuti, utroq; modo opponitur; sic quoq; peccatum originis tanquam vitium sanctæ illi virtuti oppositum est.

**XL I.** Ut ergò omnia vitia duplici modo considerantur, nempe respectu materialis, & respectu formalis, & illo positivum, & virtuti positivè nempe contrariè; hoc verò privativum, ac virtuti privativè opponi dicitur: Sic quoq; duo hæc in peccato originis omnium vitiorum fonte dantur & considerantur.

**XL II.** Quod ergò materiale in peccato hoc, quo dispositio & habitus est, ac dicitur, *θετικὸν τι*, sive res positiva sit, id forsitan nemo negabit. Quandoquidem 1. est injustitia *Rom. 6, 12. 13.* quis verò nescit injustitiam vitium esse, & justitiæ non tantum privativè, sed positivè quoq; opponi: Ut ergò in genere Injustitia, Justitiæ, sic Injustitia Originalis opponitur Justitiæ Originali, nempe ut habitus habitui, & consequenter ut positivum positivo. 2. quia habitat in homine & operatur malum *Rom. 7, 20.* 3. quia homini adjacet ibidem. *v. 21.* 4. quia est concupiscentia carnis *Ephes. 2.* quam certè sine *θεσ* ne imaginari quidem possumus. 5. quia est sensus carnis & inimicitia adversus Deum *Rom. 8. & 9. &c.*

**XL III.** Formale autem peccati originis, ut omnium vitiorum, est privatio: atq; hanc ipsam quoq; ob causam, & propter hoc formale, quod propriè peccatum in sua specie constituit, & à virtute distinguit, etiam Johannes loco antea allegato per privationem nempe *αιουίαν* definit. Hoc ergò formale nequaquam positivum sed privativum & defectivum est.

**XL IV.** Sciatur autem defectum dici non uno modo. Primus modus est, qui sola ablatione rei superadditæ constat ita, ut in subjecto nullam mutationem, sicq; nihil vitij, præter solam amissi absentiam relinquat; velut si virgo corollam deponat, cujus amotio nihil in ipsa importat mutationis, nihil labis, quæ caput virginis vitiet. Alius verò adhuc est modus defectus, qui gravior est, si nimirum corruptæ fæmellæ per judicem innotam impuritaris auferatur: Ut enim peccatum fæmellæ polluit personam reatu, sic spoliatio ornamenti virginei ejus reatus quasi stigma relinquit.

45. Neq;

XLV. Neq; tamen hæc *σένησις* posterior ad peccati originis gravitatem sufficit: quando quidem non solum amissa sunt imaginis DEI præstantissima bona, nec tantum reatus admiffæ culpæ invasit peccatorem, & ejus propagini adhæret, verum etiam subsecuta est subjecti infamis fœdior depravatio, quam mens hominis æstimare, aut lingua nostra effari possit.

XLVI. Hic igitur non sine causa quæritur, num peccatum originis ita consideratum, etiam quo ad formale vergat ad rei positivæ naturam, atq; exaggeratione ista privationis sive defectus limites excedat? Negamus nos. Defectus quidem iste aggravatus est, sed non desijt esse defectus. Nam quicquid peccatum est, qualecunq; sit, horrenda sua forma, nihil aliud est, quam *αἰουσία* sive defectus eorum, quæ adesse debebant, sive etiam reatum & corruptionem in iis, quæ restant, aspexeris: *αἰουσία* autem ipsa appellatione *σένησις* ostendit rationem.

XLVII. His igitur accuratè observatis, facile potest responderi ad argumenta Manichæorum & similiū qui inferunt: Omnia sunt facta & introducta à Deo: Ergo & peccatum. Item: Secunda causa non agit sola sed movente, adjuvante, & cooperante prima: Voluntas Evæ, quæ est propriè causa peccati, est causa secunda: Ergo non sola est, & sola non egit quando voluntas Evæ peccavit: sed etiam prima &c.

XLVIII. Ad primum respondet Chemnitius: Argumentum hoc non commodius explicari potest, quam constituta definitione peccati, quoad fundamentum (quod nos formale vocamus, considerat enim Chemnitius peccatum in Relatione) scilicet esse defectum seu privationem: quæ distinguenda est ab essentiis & actionibus à Deo creatis. Ad secundum dicit, secunda causa sola non potest positivum quid agere, sed reducitur effectus ad primam causam; sola autem agit, aliquid delinquens, aberrans & deficiens, & ille effectus non reducitur ad primam causam: quæ quidem causa est, quod secunda agit, sed non est causa, quod actiones secundæ causæ sint cum defectu: Summa ergo responsionis ad hanc redit: secunda quidem causa

B 3 sine

sine prima in actione deficere potest, & sic defectum per se relinquare, sed non potest sola rem positivam ponere. Videatur Chemnit. in L. C. de causa peccati mihi pag. 158. 159.

XLIX. Dictis ergo illis ( Gen. 1. Joh. 1. omnia per λόγον facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est: ita Actor. 17. In ipso sumus, vivimus, & movemur ) rerum positivarum, sive sint substantiæ, sive accidentia, creatio soli Deo asseritur, omninoque Dei creaturæ bonæ sunt 1. Tim. 4. quare peccatum originis non erit quiddam positivum, quod creatorem Deum requirit. Hæc de Genere peccati Originis.

L. Differentia Specifica Generi addita quinque complectitur. 1. subjectum. 2. modum inessendi. 3. ipsam formalem rationem. 4. proprietatem ex forma immediatè fluentem. 5. προσδιορισμόν.

LI. Subjectum est omnis homo, ex Adami semine ortum habens, ne beatâ quidem Virgine exceptâ. Ut enim in Adamo omnes moriuntur, sic in eodem omnes peccarunt Rom. 5. v. 12. Deinde totus homo, atque adeò totum hominis: Cujus omnes partes, totasque partes & vires affecit, infecitque hæc labe. Scriptura enim & totum hominem peccato subjicit Rom. 6. per tot. Item ad Gal. 5. & omnes ejus partes eo affectas demonstrat: utpotè animam totam 1. Cor. 2. in specie intellectum Ephes. 4. v. 18. 2. Cor. 4. v. 4. Rom. 1. v. 21. voluntatem & cor Gen. 6. & 8. Marc. 7. Ephes. 2. v. 3. carnem & corpus, Rom. 6. v. 6. cap. 7. v. 18. ipsam massam seminis Psal. 51. v. 7. guttur, linguam, labia, os, pedes, oculos, Rom. 3. v. 13. & seqq. omnia membra Rom. 7. v. 23.

LII. Conclufum itaque esto, totum hominem, cum omnibus suis viribus, labe hac inquinatum esse, nihilque in eo relictum naturaliter, quod infectum corruptumque non sit. Quæ corruptio licet non facta fuerit secundum substantiam, attingit tamen & ipsam, ipsasque substantiales partes depravavit. Loquimur autem de communi subjecto: aliàs libenter concedentes, præcipuum & principale subjectum ut imaginis Dei, ita quoque peccati hujus Originis, esse intellectum & voluntatem.

LIII. Modus inessendi exprimitur quando dicitur *morbis*  
NATURÆ-



*naturalis & vitium ingenitum*; Est enim non à nobis acquisita sed  
nativa & hæreditaria vitiositas, ut patet ex præcedentibus, quæ  
à peccato actuali potissimum distinguitur.

LIV. Formalis ratio est ipsa vitiositas quam Confessio sive  
definitio his exprimit verbis: *Ut non tantum simus naturæ sine metu  
& fiducia, & per concupiscentiam depravati, hoc est undiquaq; corruptis-*  
*simi.* Quæ verba declarant defectum quidem, sed non nudum,  
verum in subjecto corrupto, imò corruptissimo, ut comple-  
tantur & carentiam & fæditatem in subjecto: Ita enim priva-  
vit hominem omni luce & fiducia: ut justitiâ Originali amissâ, in  
ejus mente lucem sapientiæ, qua illa prædita erat, tenebræ plus  
quam Cimmeriæ exceperint: cordisque puritatem, & volunta-  
tis sanctitatem, fœda animorum pravitas subsecuta sit & con-  
tumacia: Ita etiam per concupiscentiam homo est depravatus,  
& undiquaque corruptus, ut vis illius morbi ad medullas ipsas,  
& omnes (uti jam modo demonstravimus) tum corporis, tum  
animi recessus penetraverit cum fœdissima concupiscentiæ lue,  
hoc est, perpetua naturæ inclinatione ad malum. Est ergo For-  
male hoc ipsa *σένησις ἀκαθάρσια*, hoc est *ἀνομία*.

L V. Proprietas ex forma illa fluens, est reatus, & exprimi-  
tur his definitionis verbis: *Sed rei etiam damnationis & mortis eter-*  
*ne.* Tenendum autem est, Reatum, *ῥηίνα*, duo significare, &  
quod persona in judicio rea sistatur, culpam sustinens: Et quod  
judicatur & condemnatur. Verbi gratia: Adam violans legem  
Dei fit nocens, hoc est, reatum contrahit, quia peccatum actio-  
ne commissum ipsi imputatur, ipseque ejus culpa sordet: quem  
reatus excipit, quæ poena dicitur, & est condemnatio. Propriè  
vero *ῥηίνα* & reatus in priorè significatione appellatur, & pec-  
cati, in posteriore verò, justitiæ formam recipit, cum omnia o-  
pera Dei, qualia etiam sunt judicia, justa sint.

LVI. Quocirca cum peccatum Originis, reatus dicitur, &  
hic illius affectio propria asseritur, intelligenda est prior signifi-  
catio. Illam enim noxam lapsus sui non solum Adam recepit;  
sed etiam quicquid ex eo natum est, eandem carnis merito susti-  
nuit. *Quis enim mundum dabit de immundo. Job. 14.*

L VII. Sciendum etiam est reatum hunc vocari à scholasticis Formale peccati. Duplex enim est peccati consideratio: Prima secundum definitionem & essentiam suam absolutam, atq; sic ejus formalis ratio est *ανομία* defectus & *ἀταξία*. Atq; eo modo rectè diximus, quod ex hac formali & specifica ratione fluat inseparabile & necessarium proprium, nempe reatus, quem peccati dicimus: quo nimirum peccatum ipsum DEO omniq; bono ut adversum, sic etiam exosum est, accusatur & bono destituitur. Deinde consideratur in respectu personæ, quam afficit: Atq; tum illud, quod jam formalem peccati rationem constituere diximus, induit rationem materialem: Scholasticis atrocissima illa confusio & *ἀταξία* materiale propinquum; affectio verò, qua subjectum peccato substratum redditur reum, dicitur iisdem formale relationis. Quandoquidem peccatum ad creaturam relatum, & conversum, hac eam ratione afficit, ut rea iræ divinæ fiat, tanquam violatrix legis justissimæ, juxta illud: *Maledictus omnis, quicumq; non fecerit omnia, quæ in lege scripta sunt.*

L VIII. Hinc est, quod de duplici disputatur materiali; nempe propinquo & remoto, & formali: nempe primo & secundo: quorum alterum in peccato veniali maneat, alterum verò tollatur.

L IX. Materiale propinquum est illud, quod jam diximus, nempe ipsa specifica ratio peccati, ipsa *ανομία*; Verum non quatenus talis, sed quatenus jam actu depravat subjectum, idq; exosum reddit. Remotum est subjectum ipsum, intellectus, voluntas, affectus, concupiscentia, res à Deo creatæ, per peccatum vero pessimè fœdata.

L X. Primum formale peccati est rursus specifica ratio peccati, in definitione expressa, nempe ipsum materiale propinquum, non autem respectivè ut materiale sumptum, sed absolutè, quatenus formalitèr & in sua natura peccatum definit, non habito respectu ad reatum personæ. Secundum formale est relatio, hoc est, noxa sive culpa, qua subjectum defœdatum, hoc materiale remotius, ad justitiam iramq; divinam refertur, & malis iræq; divinæ severæ subijcitur.

LXI. Ultimum in definitione peccati est *περὸ διορισμῶς*, quo accidens peccati Originalis ostenditur: *Remissio* nimirum. Dicitur enim damnans esse peccatum in his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum, illis autem qui renascuntur veniale fit, & remittitur propter Christum Mediatorem. Per *παλιγενεσίαν* subjecti vel materialis secundi, hoc est voluntatis, intellectus, affectuum, tollitur formale secundum, nempe reatus, atque ita etiam suo modo aufertur primum materiale. Interim tamen forma, nempe *ἀνομία*, sic manet, ut neque peccatum fiat justitia, neque id, quod in regenerato adhuc corruptum residet, nuncupetur integrum, licet peccator sanetur.

LXII. Verissimum ergo est, quod in Scholis Theologorum dicitur: *peccatum remissione quidem tollitur, verum non ita, ut non sit, sed ut non imputetur.* Non enim remissio tollit ipsam *ἀνομίαν*, hoc est, essentiam peccati, ita nimirum, ut ipsam peccatum justificetur; sed remissio duntaxat fit personæ, cuius peccatum est. Quid ergo per remissionem à persona tollitur? Jam diximus, quod cum Scholasticis formale secundum docuimus, nempe reatus: hoc est, id efficitur per remissionem, ut peccatum in se damnabile, injustum, Deo exosum, personam non amplius faciat ream, injustam, Deo exosam & damnabilem.

LXIII. In remissione itaque illa vitium reatum ratione personæ planè amittit; neque hoc tantum, sed etiam reatus qui peccatum est, sicut ipsa *ἀτιμία* remanens in persona, tegitur, ut non amplius appareat in conspectu Dei propitii, nec imputetur possessori reconciliato Deo per Christum.

LXIV. Quocirca quando reatus hic ita sublatus est, & peccatum tectum, persona quidem Deo placatur; peccatum tamen non conciliatur Deo sed internam suam essentiam & naturam retinet. Forma enim prima peccati, uti diximus, nunquam fit justitia; sed tantum aufertur formale alterum, nempe reatus, à materiali secundo, sive subjecto substrato: Quod ut est in ratione subjectiva, peccati proprium, nempe quod in nullo subjecto esse potest, quin illud non inficiat, sic quoque ex permutatione rationis subjectivæ aufertur.

LXV. Christus enim servator noster Formale illud, hoc est reatum illum nostrum, in se, ut in subjectum materialeq; substratum (imputativè) transtulit; exactè pro eo satisfecit idque pro nobis, cum ille in sese integer & justissimè Sanctus, peccati labem in se non attraxisset.

LXVI. Patet inde quomodo Formale hoc secundum, & materiale propinquum tollatur, manente nihilominus ipsa forma absoluta, in sese Deo improbata, & materiale substratum sive subjectum justificetur, sanctæq; integritati restitui incipiat.

LXVII. Quocirca quamvis in Baptismo, qui lavacrum regenerationis est & renovationis per Spiritum S. *Tit. 3, 5.* homo à peccatis omnibus abluatur, ut verè Apostolus de renatis illis affirmet, nihil esse damnationis in his, qui sunt in Christo Jesu, *Rom. 8, v. 1.* manet nihilominus peccatum Originis & prava concupiscentia in illis, *Matth. 7, 17. Luc. 6, 43. Jerem. 6, v. 7. Matth. 15, v. 19.* contra quam, suis perpetuo luctandum est; uti hanc luctam Apostolus Paulus in sua persona graphicè describit, *Rom. 7.* Et quanquam renatus in hac lucta fortiter pugnat, & concupiscentiis carnis resistit, ut non regnent, sed reprimantur, & mortificentur: quia verò adversus legem divinam, *Exod. 20, 17. Deut. 5, 21, Rom. 7, 7.* non concupisces, pugnant, Paulus irrefragabiliter concludit esse concupiscentias illas verè peccata, quibus resistere oporteat, & veniam illorum à Deo precari, per & propter Christum, ne in damnationem imputentur, *Rom. 7.*

LXVIII. Peccato huic Originis opponitur Originalis Justitia, quæ fuit concreata integritas & rectitudo, sive conformitas humanæ naturæ & omnium ejus virium, cum lege divina perfectissima; per quam homo Deo placuit, immortalis æternusq; beatus futurus, si sine peccato in integritate illa perseverasset. Hactenus de Peccato Originis. De Actuali infra in explicatione Art. 19. cum DEO agemus.

SOLI DEO GLORIA.




Προσφωνησις  
Ad

Præstantissimum atque Do-  
ctissimum DN. M. JONAM Sitsch/Vra-  
tislav. Siles. de Peccato Originis  
differentem.

**A**uctabit mentis dotes tibi, docte Magister,  
Quod mentis dotes diminuisse scio:  
Scilicet errati fomes? Benè, mente tenendo  
Posterius; præstat mente videndo prius:  
Venisti felix, perdocte Magister, habendus,  
Augmentum à mentem diminvente videns.

Subji.

M. NICOLAUS ZAPFIUS  
Adjunct. Phil. Fac. Witteb.



**Q**uam turpis res sit contracta ab origine labes,  
Nervosè exponit pagina digna cedro.  
Quam dum de cathedra satagis defendere, JONA,  
Exeris ingenii munera rara tui.  
Res etenim perplexa satis, quæ poscit acumen,  
Quo pollens poteris solvere rite plicas.  
Perge ita discursu limato animare cathedram,  
Et Christi populo commoda mille feres.

app.

M. JOHANNES Schwalbe  
Facult: Philos: Adjunctus.

RECOGNITION  
JACOBO MARTINI 22 TH  
1600



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092



SB

Repro

VD 77









Farbkarte #13

B.I.G.

TIO TERTIA  
 m Confessionem  
 tinens  
 ARTICULI II.  
 De  
**C A T O**  
 G I N I S,  
*proposita*  
 num Academia,  
 S I D E  
**A R T I N I, S S. Th.**  
 Professore Publ.  
 O N D E N T E  
 Sitsch Vratisl. Sil.  
*ditorio Collegii veteris*  
*m. 17. Augusti.*  
 E B E R G Æ  
 L O M O N I S A V E R B A C H,  
 M D C X X V I I I.

3